

qui vulgariter termini appellantur, facturi divisionem et limitationem vestram huiusmodi sub formidabili pena, quam imponatis auctoritate presencium firmiter a partibus observari. Ita quod neutra parcium quicquam in contrarium audeat vel presumat, et facturi fieri de tota execucione presencium publica consimilia competentia instrumenta, quorum aliis utrisque dictarum parcium assignatis et ceteris quorum intererit, aliud retineatis vobis, statim ad Curiam Magistris Racionalibus eius qui morantur Neapoli destinandum, nostre tamen Curie reservato quod si aliqua dictarum parcium in distinctione divisione ac limitatione prefatis racionabiliter assereret se gravatam, liceat nobis distinctionem divisionem et limitationem easdem corrigere et per ordinate provisionis remedium emendare. Interim tamen distinctioni divisioni et limitationi vestre huiusmodi stari volumus et parere, sic equidem quod nulli dictarum parcium preiudicium gravetur, illud autem vos observare precipimus, ut facta divisione ac limitatione prefatis, omnem quae predicatur novitatem iniuriam turbacionem sive molestiam attemptatam circa id quod de tenimentis ipsis partem continget alterutram, reduci penitus faciatis in pristinum et prout expedit emendari. Ita quod divisio ipsa facta nihil residuum habeat inter partes easdem ad dissidium vel rancorem. Provisio quod ad ea que curia nostra tenet vel massariis forestis aut solaciis nostris deputata sint manus vestras pretextu divisionis huiusmodi nullatenus extendatis. Illo vel illis ex vobis iudicibus qui presentes extiterint execucioni presencium vacaturis et decisuris quod unus vel plures inceperint, aliorum absencia non obstante. Datum Neapoli per Bartholomeum de Capua etc. die XII^o iunii II^e indictionis etc.

Verum quia predictis Magistro Justiciario et Iudicibus arduis et expressioribus Curie nostre serviciis prepeditis dictoque Karolo de Lagonessa, interea vita defuncto, prescripte lictere nostre nullum adhuc sortite sunt execucionis effectum nos execucionem ipsarum tibi duximus tenore presencium commictendam, fidelitati tue mandantes quatenus licterarum ipsarum formam diligenter actendens, prefato Joanni nec non heredi dicti quondam Karoli de Lagonessa ac balio seu tutori suo per se vel procuratores suos sufficienter instructos et universitatibus predictarum terrarum Salparum et Cidinirole per eorum Syndicos ac ceteris qui evocandi fuerint evocatis, ad earumdem licterarum nostrarum execucionem, juxta ipsarum continenciam earum forma diligenter actenta ac si nominatim et principaliter tibi directe fuissent procedas instanter.